



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

10. De alijs medijs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

non seruiant, admonet eos, valdè conueniens esse huiusmodi inordinatos motus, licet sint de rebus leuib. refrærare & compescere: eo quod hoc usu & consuetudine obtinetur, vt dum grauiores occasiones iræ aliarumue passionum, velut dum iniuria vel contumelia ab alijs afficimur, sese offerunt, facile nos colligamus, & mortificandi nostri causa, diuina gratia opitulante, grauiora æquo animo, & corde tranquillo perpetiamur.

CAPVT X.

De alijs medijs, quibus difficultas mortificationis vinci queat.

INter media, quæ ad amplectendum mortificationis studium permouere possunt, principem locum meritò sibi vendicat consideratio mysteriorũ vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi: in ijs siquidem tanquam in speculo se prodit ineffabilis volũtas & caritas, qua filius Dei se æterno Patri ad cruciatus & contumelias pro salute nostra perferendas obtulit: Apud Romanos, teste Valerio Maximo, mos receptus fuit, res præclare ab Imperatorib. alijsq; belli ducibus gestas mādare verbis, & cantare, vt adolentes ad eas imi-

Lib. 3. c. 1.

imitandas inflammarentur. Sic decantata fuit fortitudo Horatij Coclitis, qui *L. 3. c. 3.*

solus pro salute patriæ cum manifesto vitæ discrimine aduersus Hetruscorum copias depugnauit. Sic robur Mutij Sæuolæ carmine celebratum, intrepidè in *Valer. l. 5. c.*

luculentum ignem manum iniicientis, *6.* vt Romam liberaret, & hosti terrorem incuteret. Sic audax & temerarium facinus Curtij, qui pro incolumitate populi armatus vnà cum equo se in vastū fori Romani hiatus præcipitem egit.

His exemplis Romana iuuentus incitabatur ad ardua quæq; pro salute patriæ tentanda, vt immortalem inde aucuparentur apud homines gloriam. Publius Decius ea de causa, cū Latino bello Romanam aciem inclinātā videret, caput suum pro Reip. salute deuouit, ac concitato equo in medium hostium agmē irruit, factaque ingenti strage corruit.

Cuius exemplo commotus filius, vt idem Valer. refert, deuotione simili æ *Ibid.*

quæ strenua pugna consentaneo exitu labentes perditasq; vrbes Romanæ vires correxit. Si ergo vnus hominis exemplum tantum valuit ad accendendos alios, vt similia pericula vitæ, ingentesq; labores adirent, quāto amplius mouere nos debet exemplum Christi, cū homo

exemi-

exemplo non præbeat vires ad imitandum imitatori suo, nec præmium largiatur pro afflictionis, quam tolerat merito. At Christi exemplum vtrumque præstat, nam & gratiam subministrat ad imitandum, & labores suo nomine perpeffos compensat æterna gloria.

*Lib 3 ep. vi.
ad Menes.*

Quis non libenter & promptè, inquit B. Cyprianus, calicem salutis accipiat? quis nõ appetat gaudibundus & latus, in quo aliquid & ipse Domino suo retribuatur? quis non pretiosam in conspectu Dei, & fortiter & constanter mortem excipiat, complaciturus eius oculis. qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobatur, adiuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione pietatis paternæ remunerat in nobis, quicquid ipse præstitit, & honorans, quod ipse perfecit? Elephanti, vt est in diuina scriptura, cõspectu sanguinis animantur ad pugnam: quin ergo animetur Christianus ad pugnam ineundam contra se suasque passionis conspecto pretioso sanguine filij Dei pro se effusi? Certè exẽplo Christi lõgè promptius sancti martyres dirissimis se obiectere supplicijs, quã vnquam Curtiorum, Deciorum uic exemplo Romani: Hi enim ex mera temeritate, & nimia famæ, & existimationis cupiditate manus violentas sibi intulere,

1. Mach. 6.

lère, & repentinum sibi procurauere interitum, at martyres Christiani magna pace & hilaritate animi ad cruciatu diuturnos, acerbissimasque pœnas se obtulere, nō pro sua, sed Christi gloria. Phileas Episcopus sanctus, agens de *Ensl. l. c. 10* martyribus, quos suis ipse oculis conspexerat sanguinem pro Christo profunderè. Gloriosi, inquit, martyres mortem pro Christo oppetere, excluso omni metu: & tamen tam atrociora erant tormenta, vt verbis exprimi non queant, nec facile quisquam credet tam dira fuisse, nisi qui præsens viderit. Verum quid eos permouere poterat, vt tanta supplicia sustinerent eū gaudio? Respondet: quia oculos mentis continuò in Christum Dominum intentos habebant, qui cum esset Deus, factus fuerit homo, & humiliarit se vsq; ad mortem crucis. Hoc Christi exemplū, quod sanctos martyres commouit ad subeundū martyrium, mouit & cæteros Dei seruos ad assumendas voluntarias pœnas, & affectus suos mortificandos, ac nos quoq; merito mouere debet, vt eū illis conformes fuerimus in passione, si mus etiā socij in gloria & fœlicitate æternâ.

Iam verò & alia consideratione seruus Dei ad persequendum mortificationis studium non parum incitari potest:

si nempe animo reputet, quanta homines huius sæculi incommoda sustineant pro caducis, & temporalibus fortunæ bonis. Quid non facit famulus in gratiam sui Principis, ut fauorem illi? benevolentiamque conciliet, exiguumque salarium, quod minimū cum vita terminatur, obtineat: Quos non labores tolerat noctu diuque aperto capite ad nutum expectans, si quid imperare velit? quoties excipere auribus debet scommata, grauissimasque iniurias, quoties interpestiuas suscipere profectiones, cœlo æstuoso, gelido, pluuio, cum iactura sanitatis & vitæ suæ, omniumque quæ annis multis incredibili sudore coaceruauit? Quas non molestias patitur agricola, ut frumēti aliquid cumulet ad sustentandam familiam? Multos menses frigoribus hibernis, solisque ardoribus vititur, solum proscindit, arat, seminat, occat; frumenta ubi maturuere metit; in fascēs colligit, in horreum inuehit, excutit, purgat, denique sollicitus est, ne casu aliquo fortuito totius anni labores pereant. Hoc exemplo B. Iacobus in Epistola sua hortatus est fideles ad preferendas forti animo huius vitæ afflictiones & molestias. Iam quid non patiuntur nautæ in mari, quid mercatores suas

Cap. 5.

suas merces cum summo discrimine deportantes ad extremas Indias, aliasq; regiones remotas? Quot noctes humi sub dio trāsigunt, niuibus & imbribus, grauibusq; cœli iniurijs? quā malè conditis vescuntur cibus, quā putida aqua sitim leuant? quot agitantur terrorib. Quoties pyratarū, latronum, naufragij, aliaq; discrimina subeunt? Has erumnas & calamitates, si homines sustinent pro vilissimis huius mundi bonis, quæ vno momēto instar florum campi euanescent, & marcescunt, ad pascendū corpus mortale, quod cras in puluerē redigetur: quantò æquius corporis passionumq; suarum mortificationem aliquam sustinere debent, vel aliquando sempiternis fruantur regni cœlestis bonis, ad pascēdum animam suam, quæ nunquam morietur?

Quid verò iam dicemus de quibusdam cæcis huius mundi amatorib. qui vt importunæ cupiditati faciāt satis, dirissima quæq; perferunt? iniuriā quis passus est, quid non molitur, vt vindicet? lorica ferrea se onerat, nocte somnū capere nequit, cibum nulla cū voluptate capit, irruit in apertū discriminē carceris, tormētorum, & mortis. Alius, vt turpi & scædo amori pareat, facultates oēs dilapidat, noctes totas vigilat, stultis vnus vanissimæ mulieris

Cc

iussis

iussis obtēperat, manifestis honoris & vitæ periculis se obijcit. Hæc si seruus Dei sedulò perpēdat, quomodo non animabitur ad faciendū pro Dei amore, quod isti faciunt amore hominū, & rerū terrenarū? quomodo non libētius dura perferet ad præstandā voluntatē Dei id consulentis, quā suis cupiditatib. obsecundet ad perficiendā voluntatē diaboli? cur non faciet pro vita, quod illi faciūt pro morte? Quæ ratione negabit se posse aliquid tolerare pro pace, & gaudio spiritali animæ, gloriæq; cœlesti, cū illi eadem tolerent pro condemnatione & cruciatib. æternis.

CAPVT XI.

De aliis mediis, quibus difficultas mortificationis vincitur.

SVnt alia tria media ad superandam mortificationis difficultatē non parum idonea, nēpè odium sui, misericordia in proximos, & amor in Deū, in quorum mediōrū tractatione nō omnia, sed id tantū, quod ad nostrū institutum attinet, persequemur. Primum. n. seruus Dei dum considerat, & in mentē reuocat antea vitæ lapsus, eorūq; radices cordi suo inhærentes, sancto quodā odio exardescit in culpā, eiusq; fontē. Et quāuis non ignoret impulsore dæmone omnia facta, ac proximos sepe peccādi occasiōē præ-